

† **R. P. Theophilus Pasur (1857–1931).**

(*Prov. Polonicae*).



Pridie nonas Iulias Cracoviae in domo nostra B. Mariae V. de Perp. Succ. diem supremum obiit R. P. Theophilus Pasur anno 74 vitae suae. Liceat impraesentiarum tanti viri de Provincia Polonica optime meriti saltem maioris momenti gesta enarrare.

R. P. Theophilus Pasur, e pago Roźniątów Superioris Silesiae oriundus, A. D. 1857 piis honestisque parentibus natus est. Artes liberales, grammaticam, et studia philosophica in sua patria summa cum laude absolvit. Adeo vero in iis excellabat, ut anno 63 vitae suae in examinibus studentium menda in interpretatione Horatii corrigeret.

Eo fere tempore, quo R. P. Pasur studiis humanitatis finem imposuit (1882), Patres nostri in Poloniam reversi, sedem in Mościska, civitate in Minori Polonia sita, fixere. — Adolescens pius optimaeque indolis sodalibus S. Clementis sese aggregare voluit. Quapropter noviciatum in Eggenburg Provinciae Vindobonensis anno 1883 ingressus, tirocinium sub magistro P. Diessel, eximio Congregationis viro, absolvit et votis die festo SS. Salvatoris m. Novembri a. 1884 sese obstrinxit. Studiis theologicis Mauternis in Stiria vacabat, ubi mense Augusto anno 1886 dignitate sacerdotali est insignitus.

In Eggenburg reversus, munus Socii Magistri obiit simulque secundum noviciatum sub Magistro suo P. Diessel, famoso missionario, peregit. Postea aliquamdiu Leobii Stiriae et Budvicii Bohemiae sacro ministerio vacavit. Mox in patriam suam Poloniam sese contulit a. 1891 sacroque ministerio domi et foris in missionibus, ducibus RR. PP. Łubiński et

Jedek, incumbere coepit; nam nobis in Polonia, sicuti olim S. Paulo Apostolo Ephesi, tum « ostium magnum » apertum est, operarii vero erant pauci.

Ultra decennium strenue naviterque missionibus insudavit, primus ut subditus, dein ut Superior domus Tuchoviensis (1894–1901). Eo tempore ecclesiam B. M. V. Thaumaturgae Tuchoviae picturis ornavit atriumque peregrinantium usui magis accommodavit.

Anno 1901 Visitator Vice-Provinciae Polonicae creatur. Proximo anno emit domum Cracoviae simulque iuxta eam novae domus religiosae et publicae capellae fundamenta iecit, quam ipse Eminentissimus Cardinalis Puzyna, Princeps-Ep̄pus Cracoviensis, anno 1903 dedicavit. Eodem anno, quo domus Cracoviensis aedificari coepta est, R. P. Pasur insigne in sua Vice-Provincia opus peregit, nimirum studentatum cum licentia R̄m̄i P. Generalis Raus erexit.

Anno 1904 duae maximi momenti res gestae commemorandae sunt, et quidem fabricatio ecclesiae B. M. V. de Perp. Succursu Cracoviae — quod templum tribus annis mirifica opera exstruxit ornavitque — et publica ac sollemnis incoronatio veteris Imaginis B. M. Virginis Thaumaturgae, in ecclesia nostra Tuchoviae auctoritate R̄m̄i Capituli Vaticani facta. In qua sollemnitate R. P. Pasur ceu Visitator Vice-Prov. Polonicae coram Illustrissimo Ep̄po Ordinario Tarnoviensi L. Wałęga iusiurandum dedit se omni cura ac pietate ecclesiam, Imaginem miraculosam et aureas coronas servaturum.

Sequenti anno R. P. Pasur fundamenta domus studiorum in amoenissima montana regione Maksymówka fecit, in qua iam anno 1906 studia theologica inchoata sunt.

Anno 1904 exarsit dirum illud bellum Russico-Iaponicum, unde potentia Russiae, ad illud tempus invicta, detrita humiliataque evasit. Exinde imperium Russicum magnis factionibus conspirationeque oppressarum gentium agitari ac vehementer concuti coeptum est. Ad bellum civile praecavendum despoticus Russiae imperator Nicolaus famosum illud » decretum libertatis » edidit, quo aliqua iura subiugatis gentibus Ecclesiaeque Catholicae concessit. Nactus hanc felicissimam occasionem Pl. R. P. Visitator misit aliquos Patres Varsaviam, qui collegium Varsoviense restituerent. Sic factum est, ut nostri centum fere annis, postquam S. Clemens e Polonia expulsus est, Varsaviam redierint.

Non solum nostri in tota Polonia labores apostolicos exantlabant. Plur. R. P. Pasur, rogatus ab Archiepiscopo Mohyloviensi Cieplak, celebri postea Confessore-Martyre in persecutione Bolscevicorum, misit anno 1908 missionarios in Asiam septentrionalem, id est Sibiriam, ubi a mense Maio usque Septembrem in decem maioribus civitatibus Sibiriae missiones dederunt, donec in Wladiwostok, qui portus est in litore Oceani Pacifici, pedem fixere. Non solum Polonis nostri missionarii exercitia spiritualia

tradiderunt, sed Russis quoque, Lithuanis, Lettis et Germanis. In hisce vero missionibus, quae et quanta pro gloria Dei perpetrarint, quot peccatores Deo lucrati sint, quot fractos animo consolati, quot schismaticos in sinum S. Matris Ecclesiae reduxerint, quis enarrare possit? (1)

Non solum in Asiam, sed et in meridionalem Russiae plagam, id est in Colchidem et Ukrainam R. P. Pasur missionarios misit. Russi, cum stupendos missionum fructus, praecipue innumerabiles schismaticorum conversiones conspexissent, mox omnes missionarios, etiam nostros de finibus Russiae eiecerunt.

R. P. Pasur nullum lapidem non movit, ut nostri in partibus Poloniae, quae sub ditione Russiae erat, remanerent. Immo cum R. P. Łubiński sese Petrogradum (*Leningrad*) ad ipsum gubernii praesidem Stolypin contulit, ut nostris licentiam Varsaviae manendi impetraret, sed frustra.

Anno 1909 qua Vocalis Capitulo generali Romae interfuit, in quo subsecretarii munere functus est. Eodem anno Provincia Polonica erigitur, et R. P. Pasur primus Provincialis renuntiatur, quod munus feliciter et maximo cum emolumento subditorum per tria triennia obiit.

Anno 1912 munus extraordinarii Visitatoris in Provincia Vindobonensi, exercuit. Anno 1914, cum triste illud bellum Europaeum praecipue in Poloniae regionibus saeviret, eximia Patris Pasur prudentia in regendis subditis enituit. Cum Russi Poloniae fines occuparent, clericos studentes Mauternas in Austriam misit, novitios partim in Eggenburg, partim in Bohemia collocat, similiter Patres, quos omnes confratres nostri Provinciae Vindobonensis et Pragensis tenero amore amplexati ac mira hospitalitate prosecuti sunt.

Anno 1917 R. P. Pasur novum hospitium in Lublin tentavit. Anno 1918, cum Polonia libertati restituta esset, sine ulla mora Patres Varsaviam mittit. Et sic, divina Providentia mirabiliter disponente, evenit, ut anno fere centesimo a beata morte S. Clementis collegium Varsoviense stabiliter firmiterque restitueretur!

Deposito anno 1918 munere Provincialis, renuntiatur Procurator Provinciae, Consultor P. Provincialis, dein Consultor P. Rectoris. Cum vero tot et tam gravia munera officiaque diligentissime obiret, indefesse et admirabili zelo audiendis confessionibus insudabat. Adhuc anno 1919 — ergo 64 anno eius vitae — iuniores missionarii mirabantur Patris Pasur tenacissimum zelum in excipiendis confessionibus; in duobus ultimis missionibus, quibus interfuit, continuo per sex horas ante meridiem et per sex horas post meridiem audiebat poenitentes in confessionali, nequidem ad breviusculum tempus surgens!!!

(1) Plura de hac expeditione missionali in *Analectis* I, 200-206.

Anno 1925 fractus viribus aegrotare coepit, et duos ultimos vitae suae annos graviter lectulo decumbebat. In doloribus suis admirabilis, immo heroicae patientiae fuit. Nullo verbulo nec nutu aliquo dolores molestiasque morbi externe manifestabat. Interrogatus: « Reverende Pater, caput tuum dolet? » Respondit: « Non ita! » — « Laboras ex pectore? » — « Non! » — « Aeger es ex pedibus? » — « Non! » — « Certissime tamen vulnera tua tibi molestiam afferunt! » — « Afferunt! » Nec ullum verbulum ultra adiecit unquam!!! Continuum fere in sua infirmitate silentium servans, coronam B. Mariae V. Dolorosae vel rosarium manibus tenens recitabat, donec die 7 Iulii placidissime in Domino obdormivit.

Funeri adparatissimo Ill^{ms} Ep^{us} Rospond, Coadiutor Cracoviensis, praefuit una cum magno concursu sacerdotum saecularium et regularium ac magna populorum turba.

R. P. Pasur, vir summopere Deo Congregationique devotus, totam suam vitam in multis ac gravibus muneribus obeundis transegit, in quibus enituit magna eius prudentia, gravitas, disciplinae regularis observantia et amor. In exsequendis Patris Generalis et Superiorum mandatis admodum tenax, scrupulosus, immo quasi implacabilis fuit. Erga omnes amans, comis, affabilis, cunctos sine discrimine subditos et confratres non solum patris, sed potius tenero amore amantissimae matris prosequabatur. Suavissimus semper in modo, in re, ut res postulabat, fortis et tenax erat. Eius memoria semper in benedictione manebit.